

vel propria, vel aliena dicturum, et ipsos commentarios, tam veterum scriptorum esse, quam nostros; quæ non videns præcursor ejus Grunnius olim nisus est carpere, cui duobus respondi libris, quæ iste quasi sua profert, et alio jam calumniantem purgata sunt. » Sic Hieronymus.

LVI. Ex quibus verbis colligo duo. Primum, quod calumniæ et errores, qui contra istos commentarios a Hieronymo purgati sunt; et cum illa verba, quæ Vazquez pro errore notat, nec sint calumniata a Rufino, neque a Hieronymo purgata, omnino existimandum est non fuisse accepta, nec intellecta ab aliquo in sensu, qui errorem contineret.

LVII. Secundum est Hieronymum in his commentariis plura ex aliorum ponere opinionibus, ut ipse expresse dicit, non tamen ex aliorum erroribus; neque enim pro opinionibus errores nobis obtulit Hieronymus, quomodo ergo relinqueret lectoris arbitrio eligendam sententiam (ut ipse inquit) si illa errorem contineret manifestum? Neque enim manifestus error a catholico auctore potest proponi, et relinqui ut eligendus lectoris arbitrio: quod S. Hieronymo imputare quantum piaculum sit, ex eo possumus intelligere, quod papa Pelagius in capite Sanctæ Romanæ, distinctione xv, cum Concilio Romæ coacto, tale de Hieronymo protulit testimonium: « Quia Beatus Hieronymus in aliquibus Rufinum de arbitriis et libertate notavit, illa sentimus, quæ Beatum Hieronymum prædictum sentire cognoscimus, et non solum de Rufino, sed etiam de universis ad quos vir pius memoratus zelo Dei et fidei religione respondit. » Ita pontifex cum Concilio. Et talem virum Ecclesiæ præconio commendatum, audeat Vazquez, vel in suspicione dubii de errore relinquere, vel quod errorem

ex aliorum libris docuerit, asserere.

LVIII. Invenio igitur hæc verba de quibus modo disputamus repetita esse a S. Hieronymo in eadem epistola, et exposita secundum verum sensum, propriamque ejus sententiam; quam si Vazquez legisset, aut voluisset advertere, non ita erroris fuligine gravissimam Hieronymi auctoritatem ausus esset impingere, aut denigrare. Verba igitur S. Hieronymi hæc sunt super caput primum ad Ephesios tomo vi, in magnis commentariis: « Cur autem omnia, id est, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, et Virtutes cæteræ, quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo, ejus pedibus subjiciantur, videtur obscurum; potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sunt munda coram Deo, omnisque creatura pavet creatoris adventum. » Ita Hieronymus.

LIX. Ubi difficultatem faciunt duo. Primum, quod videtur in Angelis peccatum ponere: secundum, quod per crucem Christi a peccato purgati sint: neutrum tamen asseruit Hieronymus, quod constare potest; tum, attendendo solum ad verba citata; tum, attendendo ad alia, quæ inferius ponit Hieronymus. Et in his verbis citatis non cogimur intelligere, quod quando dicit Hieronymus, quod nullus absque peccato sit, intelligat quod nullus Angelus: aut de suo capite apponit Vazquez, sed in illis verbis nullus absque peccato, sufficienter intelligitur, quod nullus hominum absque peccato sit. Et quando addit sidera ipsa non sunt munda coram Deo, nomine siderum intelligit Angelos, ut communiter intelligunt doctores explicantes ista verba, quæ sunt apud Job. Unde tam homines, quam sidera (id est, Angeli) egent purgatione: illi propter pec-

catum; isti propter naturæ limitationem comparatæ ad Deum. Constat enim Angelos purgaria nescientia, ut a S. Dionysio D. Thomas, et theologi communiter dicunt, qui ponunt in Angelis tres actus hierarchicos, perficere, illuminare, purgare. Unde et de Angelis dicitur Job xli: *Cum sublatus fuero* (id est, diabolus) *timebunt Angeli, et territi purgabuntur*. Igitur crux Christi purgat ea, quæ sunt in cælo, et in terra, sed diversimode, quæ in terra sunt a peccato, quæ in cælo a nescientia, vel aliis defectibus, quæ Christus tollit in Angelis exercendo actus hierarchicos: vel si in illis verbis nullus absque peccato sit, comprehendantur etiam Angeli, ly a peccato non debet intelligi strictè pro culpa morali, sed in lata significatione pro quocumque defectu rationalis creaturæ, a quo etiam Angeli purgari possunt.

LX. Præterea, quomodo intellexerit Hieronymus, quod crux Christi purgaverit quæ sunt in terra, et in cælis, ipse clarissime explicat super eandem epistolam capite ii ad illa verba: *Qui fecit utraque unum*, ubi inquit: « Et hanc totam intelligentiam ad Angelos, Virtutesque cælestes, et ad animas temperavit humanas, quod Christus in suo sanguine, terrena, et cælestia copularit, quæ inter se antea dissidebant, atque ita fieri ut crux Domini non solum terræ sed et cælo præfuerit, non solum hominibus sed et Angelis, et omnis creatura, Domini sui cruore purgata sit, » ubi aperte S. Hieronymus explicat suam mentem, quod profuisse dicatur crux cælo, et terræ, quia Angeli, et homines qui antea inter se dissidebant, copulati sunt amicitia, et pacificati; sic impletæ sunt eorum ruinæ; et hoc est quod dicit eis profuisse, scilicet ad accidentalem gloriam, quæ ex omni

consortio, et suæ ruinæ reparatione consurgit.

LXI. Nec loquitur de purgatione a peccato, ut est malum morale, sed ut significat quemcumque defectum. Si enim omnis creatura cruore Domini purgata est, et omnis creatura non est capax mali moralis; non ergo de illo Hieronymus loquitur, sed ad sensum Apostoli ad Romanos viii dicentis: « Quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc, expectans revelationem filiorum Dei, quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. »

LXII. Denique super caput quartum ejusdem epistolæ ad illa verba: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit*, sic Hieronymus ait: « Ascendens super omnes cælos Filius Dei, ut non tantum legem, prophetasque compleret, sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum Patre, neque enim scire possumus quomodo, et Angelis, et his qui in inferno erant sanguis Christi profuerit, et tamen quid profuerit scire non possumus. »

LXIII. Ubi loquitur Hieronymus de profectu, qui ex incarnatione Christi provenit justis in limbo, et Angelis in cælo; et determinate loquitur de perfectione gloriæ essentialis, aut accidentalis, vel purgatione a peccato, quæ sit culpa moralis distincte, et absolute; dicit ergo profuisse; quomodo autem profuerit, dicit quod scire non possumus.

LXIV. Constat ergo clarissime id quod Vazquez tamquam errorem attribuit Hieronymo, prudentissime ab ipso sanctissimo patre intellectum, et non solum catholice, sed et valde theologice positum. Nec potest Vazquez hanc rejicere interpretationem, nam eam admittit in verbis Origenis homilia i et ii in Le-

viticum, ubi Origenes inquit: « Quod non solum pro terrestribus, sed et etiam pro cœlestibus Christus oblatu est hostia, sed diversimode, quia pro terrestribus materiam sanguinis sui fudit: in cœlestibus vero vitalem corporis sui virtutem, vel ut spirituale sacrificium immolaverit; et in cœlis non pro peccato, sed pro munere oblatu est, in terris autem pro peccato. » Quæ verba inquit Vazquez (licet in margine notantur ut legantur caute) in bonum tamen sensum explicari possunt, quia scilicet Angelis beatis aliquo modo profuit passio Christi ex sententia sanctorum patrum. Si ergo hoc admittit in Origene, cur non in Hieronymo, qui seipsum explicans dicit: « Crucem Domini profuisse cœlo, et terræ, et omnem purgasse creaturam; » ubi satis significat loqui de Angelis non quantum ad essentialem gloriam, nec determinate de isto, vel de illo profectu, aut purgatione a peccato, ut est culpa moralis; sed generaliter de inquinamento, aut imperfectione, etiam negativa, qualis est in Angelis.

LXV. Nec minus Hieronymi verba hanc admittunt expositionem, quam Origenis, si attente legantur, et conferantur: nec aliud apposuit Hieronymus in illis verbis nullus absque peccato, et sidera non sunt munda, etc. nisi verba Scripturæ apud Job, quæ de hominibus communiter intelligantur quantum ad priora verba; imo ex illis probat Augustinus frequenter dari in hominibus peccatum originale, ut videri potest libro secundo de nuptiis et concupiscentia, capite xxix; Hieronymus autem simpliciter illa verba posuit, nec dicit: Nullus Angelus absque peccato est. »

LXVI. Et hæc quidem digressio longa videri potest, sed non Hieronymum intensius amanti, ejusque

zelanti honorem, quem maximum doctorem Ecclesia veneratur, et ad instar lampadis ab oriente usque ad occidentem resplenduisse S. Augustinus affirmat libro primo in Joannem, cap. vii; et Cassianus libro vii de Verbi incarnatione, inquit: « Hieronymus catholicorum magister, cujus scripta per universum mundum, quasi divinæ lampades rutilant. » Ac denique S. Prosper libro primo de ingratis, magistrum mundi appellat, et ideo operæ pretium visum fuit universalem magistrum, et doctorem maximum Ecclesiæ a tam gravi injuria latius vindicare.

SOLVUNTUR OBJECTA.

LXVII. Ad auctoritates D. Thomæ respondetur. Ad primam, quod loquitur de plenitudine gratiæ Christi a qua receperunt omnes aliquid, et aliquo modo; sed quid receperint ibi non explicat sanctus doctor: unde ex aliis ejus verbis explicamus, quod Angeli receperint gratiam accidentalem, homines essentialem. Et quando ait D. Thomas: « Quod gratia Christi habuit efficientiam omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis, » debent intelligi secundum distributionem accommodam, quod aliquibus gratiam accidentalem, aliis essentialem tribuat efficienter, et intelligendo efficientiam in rigore, quo illa utitur S. Thomas pro efficientia physica. Et apud omnes est compertum, quod Christus ut homo non habuit physicam efficientiam in gratiam, et gloriam essentialem Angelorum, quia tunc nondum facta erat incarnatio, neque existerat humanitas, quæ physice efficeret illam gratiam.

LXVIII. Ad secundam auctoritatem dicitur, quod ipse D. Thomas

se explicat articulo xi dum dicit: « Quod confertur gratia Christo, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura: » vel si intelligamus etiam, quod sit universale principium pro natura angelica, non intelligitur quod sit principium omnis gratiæ pro omnibus subjectis æqualiter, sed pro aliquibus, nempe pro hominibus essentialiter, pro aliis vero, scilicet pro Angelis accidentaliter.

LXIX. Ad primam rationem respondetur, quod in sententia S. Thomæ, quod Christus non est prædestinatus nisi ut redemptor, supposita prævisione peccati, facilis est solutio, quod Christus Dominus est primus prædestinatorum, sed non eodem modo respectu omnium; nam respectu Angelorum est primus quantum ad perfectionem, et dignitatem, et rationem communem causæ exemplaris: imo est finis eorum, secundum quod sunt præordinati, ut ministrent Christo in officio redemptionis: respectu autem hominum est primus prædestinatus, etiam ut influens in omnes homines essentialem vitam. Sicut caput naturale non eodem modo comparatur ad omnia membra, neque eundem gradum vitæ in omnia influit. Neque in hac sententia admittendum est prævisionem meritorum Christi præcessisse prædestinationem Angelorum, ut ex illius meritis daretur illis gratia, et gloria, quia si Christus non fuit prædestinatus, nisi præviso peccato efficaciter in executione, et complete, sicut omnia quæ pertinebant ad illum statum, et hoc supposebat Angelorum peccatum, et a fortiori eorum gratiam, consequenter non potuit prædestinatio Angelorum descendere a prædestinatione Christi prius prævisa, et decreta. Quare licet merita Christi habuissent sufficientiam ad merendum Angelis

gloriam, non tamen de facto fuerunt applicata ex vi præsentis decreti, et prædestinationis Christi, ut Angelis mererentur illam, quia solum prædestinatus est Christus ut redemptor.

LXX. Nec obstant congruentiæ alatae in argumento, quia perfectio capitis non consistit in hoc, quod influat in omnes vitam, et gloriam eodem modo, quia neque omnes eodem modo subjiciuntur Christo; cum enim sit caput in quantum redemptor, quidam subjiciuntur illi ut redimenti, scilicet homines; quidam ut ministri redemptionis, non tamen redemptione egentes, ut Angeli. Et salvatur perfectio capitis in hoc, quod de se perfectionem habuit ad influendum gratiam in omnes, de facto tamen sic dispensatum est, ut non eodem modo in in omnes influeret, quia ad hoc prædestinatus non est, sed solum ut redemptor.

LXXI. Neque ex hoc inferas, quod quantum ad sufficientiam meruit pro Angelis de facto, quia ex vi præsentis decreti, et de facto, nullo modo meruit pro ipsis; habuit tamen perfectionem, qua posset mereri, si aliter prædestinaretur, sicut non meruit etiam quoad sufficientiam incarnationem alterius Personæ, licet potuerit mereri illam.

LXXII. Et quando dicitur, quod primum in unoquoque genere est causa cæterorum, non intelligitur, quod sit omnibus modis causa; sed sufficit quod sit per modum exemplaris, aut finis extrinseci, non tamen requiritur quod sit causa meritoria, aut influens efficienter in ipsam gratiam. Unde S. Thomas articulo iv in corpore probat Christum esse caput Angelorum, quia: « Tam Angeli quam homines ordinantur ad eundem finem: » et in solutione ad secundum: « Quia plenarie habuit gratiam, et gloriam. »